



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt II. a Item.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

ob eam rem equum iudici videtur, actio datur. Iudex enim computare debet mercedos medicis prestitas, ceteraque impendia, quae in curatione facta sunt; praeterea operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id quod mutulus est factus. Quoad forum internum ita in hoc casu cautum lego in Penitentiali Romano, tit. 4. cap. 19. in haec verba: Qui per rixam icu debilem, vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medicas, & medium annum poeniteat: si non habuerit unde

reddat, unum annum poeniteat: & si non habeat, unde reddat, solvat opera proximi sui quamdiu infirmus est, & postea quadraginta dies in pane, & aqua poeniteat. Illustrant Mancinus de triplici juris collat. cap. 81. Petrus Pitheus in collat. legum Masae. tit. 2. Et quomodo opera existimanda sunt, explicant Covar. lib. 3. var. cap. 1. Petrus Gregorius lib. 4. parit. tit. 9. cap. 12. & congesti à Barbosa in praesenti.

CAPVT II.

^a Item.

SI quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel asinus in ea, dominus cisternae reddet pretium iumentorum. Quod autem mortuus est, ipsius erit.

NOTÆ.

¹ ^a Item. Ita etiam legitur in prima collectione, sub dicto tit. de damno dato, cap. 3. id est in eodem capite Exodi, ubi reperitur textus hic, qui summâ ratione nititur; nam ad damnum refarciendum non solum tenetur qui dedit, verum & qui occasionem damni praeiuit, l. qui occidit, §. ult. ff. ad leg. Aquil. Praesens tamen sententia accipi debet iuxta distinctionem, quam tradidit Paulus in l. qui foveas 28. ff. ad leg. Aquil. his verbis: Qui foveas urforum, cervorumque capiendorum causâ faciunt, si in iumentis fecerunt, eoque aliquid decidit, factumque

deterius, lege Aquilia obligati sunt: at si in aliis locis, ubi fieri solent, fecerunt, non tenentur. Subjicit etiam Paulus in §. 1. quod si is, qui foveas fecit, praetereunti denunciaverit periculum, & adhuc ausus fuerit transire, ex culpa non tenetur, qui foveas posuit; quia praetereiens suae temeritati imputare debet, ut in non dissimili casu Calphurnius Flaccus dicebat declamat. 5. ibi: Quantum ausus est, quod nec post denunciationem creditum est. Et statim: Ubi quod futurum est denunciatum, culpa patientis est. Explicant D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 3. cap. 7. sect. 1. num. 9. Mancinus de tripli. juris collat. cap. 84.

CAPVT III.

^a Item.

SI bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & dividunt pretium; cadaver autem mortuum inter se disperient. Si autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri, & nudius tertius, & custodivit eum dominus suus, reddet bovem, & cadaver integrum accipiet.

NOTÆ.

² ^a Item. Ita etiam legitur in primâ collectione, sub hoc tit. cap. 4. id est in eodem cap. 21. ubi ita legitur: Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & dividunt pretium; cadaver autem mortuum inter se disperient; si autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri, & nudius tertius, & non custodivit eum dominus suus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet. Hæc lex Mosæica pervenit ad Phenices, unde sumpsit Solon, de quo Plutarchus ait: Scripsit & de pauperie à quadrupedibus data, ubi canem qui aliquem morderit, dedit jubet cubitorum quatuor vinculo alligatum. Ex Solone sumpsit Plato de legibus lib. 11. ubi ait: Ut si jumentum, aut equus, aut canis, aut animal domesticum quadrupes pauperiem fecisset, eodem modo damnum refarciatur, ac si servus dedisset, nempe noxam dedendo, vel restituendo quod alteri abesset, nisi intercessisset dolus. Et Romani ab eo acceperunt: quare Ulpianus in l. 1. ff. si quadrupes pauperiem,

ait: Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, ex lege 12. Tabularum actio descendit. Quæ lex voluit, aut dari id, quod nocuit id est animal, quod noxam commisit, aut aestimationem noxæ offerre: nam ratio postulat, quod sicut in noxali actione damnato permittitur aut litis aestimationem sustinere, aut ipsum hominem noxæ debere, cum videri posset iniquum servorum nequitias ultra ipsorum corpora dominis esse damnosas, §. 1. Inst. de noxalibus; ita pari ratione de quadrupedibus placuit, dict. l. 1. ff. si quadrupes pauperiem: ad quem titulum spectant textus in l. & eleganter 7. §. 6. ff. de dolo, l. final. ff. de extraordin. crimin. l. Iulianus 9. §. glans, ff. ad exhib. l. ait Praetor 7. §. penult. ff. de damno infecto, l. si servus 27. §. si servum, l. final. ff. ad leg. Aquil. l. si heres 16. l. electio 26. §. si is, ff. de noxalibus, l. Divus, l. infans, ff. ad leg. Corn. de sicar. l. Pomponius 44. ff. de acquir. domin. Illustrant Mancinus de triplici juris collat. Grotius in floribus ad tit. ff. si quadrupes, Gibalin. de negot. lib. 6. cap. 9. art. 3.